

**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XXXVIII. De cessatione privilegiorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](#)

### Tractatus VIII. Disp. XXXVIII. Art. I. §. I.

352  
elle, quod privilegiatus non gaudeat privilegio contra fortius privilegium; quia, ut adverit Palao n. 3. fortius privilegium subintelligitur exceptum in opposito debiliore; unde nec proprie sunt opposita.

II. Quæres sextio. An, ut possit agere contra particulae præceptum alicuius loci, sufficiat ut habeas privilegium dispensationis à Principe superiore, vel lupo? v. g. an, ut excusari à particulae jejuniu Diocesano ab Episcopo indicato, aut introducto, sufficiat privilegium simpliciter non jejunandi, imperatur à Summo Pontifice? Videri potest, quod non: quia ut antecedenter dictum, non præsumitur per generalem privilegii concessionem voluisse supremus Princeps derogare legi particulari, nisi exprimat. Nihilominus censio cum Salmanticensibus, & Salas de Leg. disp. 17. fest. 10. n. 56: Habentem à summo Pontifice privilegium absolutum non jejunandi, etiam non teneri ad jejuniu diocesana: quia non præsumitur in ejusmodi præcepto Episcoporum voluisse fortiori obligationem inducere, quam sit illa, qua ab ipsis Apostolis est derivata.

ta & accepta: sed præceptum non jejunandi in Quadragesima, & feriis sexis est ab ipsis postoli acceptum & derivatum: ergo cum per absolum privilegium non jejunandi aliqui à tam urgenti & sacra obligatione sit solitus, merito etiam ab Episcopali lege absolutus à fortiori cen-

tic. Non præsumi, quod in generali concessione dispensemur in lege vel præcepto particulae, quando materia præcepti particulari non frequentur solet cadere sub iure communis: atque materia jejunii majori ex parte cadit sub iure communis, & quidem sub fortiori & securiori obligatione: adedque facta dispensatione circa materiam jejunii absolutè, circa jejunium quadragesimale, Vigiliarum, 4. temporum, &c. censetur eriam facta circa jejunium particulae, nisi forte tale jejunium in calu extraordino & causâ publici boni, avertende calamitatis, &c. sit introductum; ad quem casum mensum Pontificis sese extendere utique non præsumitur,

## DISPUTATIO XXXVIII. DE

### Cessatione privilegiorum.

**P**rivilegia variis modis cessare & amitti possunt, quorum aliqui considerantur ex parte ipsius privilegii, ut est tempus, conditio, & causa finalis ipsius: alii ex parte concedentis, ut est mors, & revocatio concedentis: alii ex parte privilegiati, quales sunt, non usus, abusus, renuntiatio. Nunc de singulis agendum.

#### ARTICULUS I.

##### De modis, quibus cessant privilegia ex parte ipsius privilegii.

###### SUMMARIA.

1. Privilegium exspirat post prescriptum temporis terminum.
2. Privilegium in materia favorabili non finitur uno actu.
3. Finitur in materia odiosa.
4. Privilegium conditionatum cessat ablatâ conditione.
5. Deficiente causa finali ante privilegium integrum concessum, cessat privilegium.
6. Sufficit causam existere tempore concessionis, quando solo concedentis actu perficitur.
7. Cessat privilegium, cum ipsis usus sit illicitus.
8. Cum privilegium in executione pendet a mandatario, causa debet existere etiam tempore executionis.
9. Suspenditur privilegium cessante causa, qua habet aliquem temporis tractum.
10. Nisi cum causa ex sua natura stabiliter inheret.

###### §. I. Lapsus temporis.

I. Cum privilegium dependeat ab intentione & voluntate concedentis, certum est, exspirare

privilegium, quando ex verbis ipsis sufficienter colligitur, illud pro determinato tempore, quod nunc præterit, fuisse concessum. Igitur

Quæritur primò. An privilegium sine clausula ad certum tempus limitante concessum (quales sunt, pro hac vice, semel in vita, in anno, in mortis articulo, &c.) lapsu temporis vel unico actu exspiret?

Respondeo primò. Privilegium absolutè concessum non finitur uno actu in materia favorabili, nisi ex circumstantiis & materia subiecta aliud inferatur, quia est favor Principis, qui amplam exigit interpretationem, & comparatur liberali donationi, que suâpte naturâ perennat. Ideo dispensatus ad obtinendum beneficium, potest uno dimisslo aliud acquirere; dispensatus in voto castitatis potest mortuâ conjugé alias dicere, dispensatus in recitatione Breviaril, in ieiunio &c. semper potest uti dispensatione &c.

Dixi primò; in materia favorabili: nam excipiuntur dispensations in materiis odiosis, ut restringuntur ad unum & primum agum, ut mandat Felinus in c. 2. de irenga & paci. Unde secunda

ritas veniendi bannito data intelligenda est pro prima vice ex Bartol. in l. 1. ff. ad Legem Jul. Dispensatio ad duo beneficia curata intelligitur de duobus primis. ex c. nam potest. §. 1. de probend. in 6.

Dixi secundò: nisi ex circumstantiis, &c. nam aliquando datur dispensatio pro uno solum actu, ut si quis perierit dispensatioem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium cum focmina à se deflorata, illa mortua non potest aliam ducere; siquidem illa determinata persona pertinet ad causam finalem privilegii. Item, dispensatus ad contrahendum cum consanguinea, tam censetur dispensatus pro una.

4. Respondeo secundò. Privilegium conditionatè concessum, sublatâ conditione cessat: quia hac est natura omnis concessionis, gratia, donationis, obligationis. Ubi tamen advertas velim, conditionem triplici modo habere se posse. Primo ex parte ipsius concessionis, ut si Princeps dicat: *Concedo tibi privilegium, si Episcopus consenserit;* quo modo privilegium à conditione & consensu Episcopi dependet in fieri, non autem in conservari: unde si Episcopus primitus non consenserit, nullum erit privilegium: si vero consenserit, perennabit privilegium, etiam Episcopus ex postfacto dissentiat. Secundo ex parte ipsius privilegii, ut si dicat: *Concedo tibi privilegium, quamdiu Episcopus consenserit;* quo causa privilegium dependet a conditione tam in fieri, quam in conservari: ita ut, quandocunque Episcopus dissentierit, etiam privilegium expiret. Tertio conditio potest pertinere ad solum usum privilegii, ut si Pontifex dicat: *Concedo tibi facultatem sub myra celebrandi, consente Episcopo;* vel quories Episcopus consenserit: & tunc deficiente conditione non deficit privilegium quod substantiam, sed tantum quod usum & exercitium, qui usus suspenditur, quoque conditio & consensus reperatur. Salmant. tr. 18. c. 2. n. 4.

## §. II.

*Quando cessante causa finali cessat  
privilegium?*

5. **S**ermo est non de causa quacunque impulsiva, sed de causa finali & motiva, quā Princeps moveret ad tribuendum privilegium. Ubi

Certum est primò apud DD. si, antequam privilegium integrè sit concessionem, totaliter cessat causa finalis, privilegium non subsistere: actus enim non operantur ultra intentionem agentium: cum igitur privilegiantis vel dispensantis intentio sit dare privilegium propter hanc determinatam causam, si illa deficit, etiam deficit intentione, & consequenter concessio privilegii.

6. Certum est secundò. Si privilegium vel dispensatio perficiatur, & servatur effectum solo actu concedentis, ita, ut nullum habeat, aut requirat successivum tractum temporis, sufficere, quod causa existat tempore ipsius concessionis, ut sit, cum summ. Pontifex dispensat in voto, excommunicatione, irregularitate, &c. Unde tamen ex postfacto muretur rerum status, non tamen reddit obligatio voti, irregularitas, excommunicatione, &c. prout docet Menoch. l. 4. de

præsumpt. 189. n. 197. cum Suarez, Sanchez, Palao, & communi, conformiter ad regulam Juris in 6: *Factum legitimè, retractari non debere, licet casus postea eveniat, quo non potuerit inchoari.*

Certum est tertio. Quandocunque per cessationem causæ finalis, aut mutationem circumstantiarum ulius privilegii sit illicitus, toties usum privilegii amitti vel suspensi, donec iterum fiat licitus: quia non potest dari privilegium ad illicitum.

Queritur ergo primò. An, si privilegium, §. vel dispensatio ex sola Principis voluntate non integrum fortia effectum, sed pendat ab executione, Ordinario aut Confessario commissa, sufficiat causam extitisse, quando privilegium vel dispensatio fuit impetrata, quantumvis tempore executionis non amplius existat? Respondeo. In hoc casu probabilius requiritur ad valorem privilegii, ut causa existat, non solum quando conceditur, & v. g. Romæ dispensatio ad matrimonium contrahendum impetratur, sed etiam quando expeditur Confessario, vel Ordinario: quia ante executionem nondum est propriæ dispensatio, sed mandatarum dispensandi: atque mandatum cessat, cessante causâ finali ex c. si panper. de probend. in 6. Major colligunt ex ipsis verbis induiti, quia ita ponunt: *Si preces veritati nitantur, cum illo dispense.* Ita Covarr.

4. Decret. 2. p. c. 6. §. 9. Sanchez. l. 8. disp. 30. n. 12. Palao p. 15. n. 2. Reding n. 12. aliisque.

Queres secundò. An cessante causa cesset privilegium, quando usus & causa privilegii requirunt successivum temporis tractum?

Notandum. Materiam privilegii, vel dispensationis aliquando esse individuam, quæ nullum requirit tractum temporis, ut si dispensetur ad contrahendum matrimonium propter legitimationem prolixi; aliquando vero esse dividuam, h. e. quod causa & usus privilegii non simul existat, sed secundum diversas & successivas partes temporis, ut si dispensetur in recitatione Breviarii propter nimias occupationes, in observantia jejunii propter periculum infirmitatis; tam causa dispensandi, quæ sunt nimia occupationes, & periculum infirmitatis, quam materia nempe recitatione Breviarii, observatio jejunii, successio plurius dierum, hebdomadarum, mensium, &c. admittunt. Quo posito

Respondeo. Privilegium aut dispensatio ex causa, & in materia dividua, quæ non integrè existit tempore concessionis, regulariter cessat, vel suspenditur, cessante causa, unde dispensatus in jejuno propter periculum infirmitatis, cessante illo periculo tenetur ad jejunandum, donec illud periculum redeat. Et ratio est: quia Princeps non præsumitur largius indulgere privilegium, nisi quantum est necessarium ad obtinendum finem propter quem petitur: sed finis cessante non est amplius necessarium privilegium ad illum finem, uti patet ex terminis. Sed neque ad dispensandum in jejuno pro hoc mente moveatur Princeps à morbo dubio alterius sequentis, sed hujus mensis praesentis, unde si sequenti mense cesset periculum morbi, ad illum mensum intentio dispensantis non extenditur. Ita Palao cit. n. 6. Reding n. 11.

Dixi,

Tract. VIII. Disp. XXXVIII. Artic. II. §. I.

354

10. Dixi, regulariter: nam si causa concedendi privilegium, per se loquendo radicatur in communi hominum conditione, aut ex ejus suspensione nasci potest incommodum moraliter æquale illi, quod per privilegium evitari intenditur, tunc privilegium non cessat, cessante causa, tametsi illa tractum temporis admittat: ideo cessante periculo & tentatione incontinentia,

non tamen cessat dispensatio obtenta ad matrimoniū contrahendum proper periculum incontinentia; quia periculum per se loquendo est stabile, ejusque cessatio per accidentem evenit. Dispensans autem censetur intentionem suam conformare causas stabili, & juxta statum, quem per se loquendo & in pluribus obtinere solet, ita cum Haunoldo Magnif. P. Petzschacher a. 7. §. 4.

ARTICULUS II.

De modis, quibus cessant privilegia ex parte concedentis.

S U M M A R I A.

1. Gratia dividitur in factam & faciendam.
2. Gratia tota consistens in concessione acta, est facta.
3. Item gratia consistens in concessione facultatis in favorem tertii indeterminate.
4. Si determinate, est gratia facienda.
5. Gratia facta illimitata non expirat morte concedentis; expirat facta limitata.
6. Sententia opposita probabiliter defenditur.
7. Gratia directe data privilegiato est gratia facta, et si requirat cooperationem delegari.
8. Ad gratiam factam non requiriur acceptatio.
9. Privilegium cum clausula ad beneplacitum, probabiliter expirat morte concedentis.
10. Parvissimenter sentendum de expiratione privilegii per mortem, & cessationem jurisdictionis.
11. Privilegium concessum ad annum non expirat per mortem privilegiantis intra annum.
12. Privilegium gratuito delegativum alicuius actus revocari potest sine causa validè, sed non licite.
13. Privilegium concessivum alicuius juris, vel domini sine causa validè non revocatur.
14. Privilegium onerosum & remunerativum sine causa validè non revocantur.
15. Dispensationes ad contrahendum matrimonium in gradibus prohibitis ad revocationem requirunt causam & compensationem.
16. Inferior sine causa invalide revocat dispensationem in lege Superioris.
17. Nec potest Superior valide revocare privilegium ab inferiori concessum.
18. Ad expressam revocationem absolute sufficit clausula generalis.
19. Varia exceptiones.
20. Revocatio privilegii requirit publicationem.

§. I.

Quomodo cessent privilegia per mortem privilegiantis?

¶ N orandum. Privilegium seu gratiam, distinguunt in factam, hoc est, completam, & in faciendam hoc est inchoatam, sed nondum completam; item aliam esse gratiam, quæ illum solum concernit, cui conferatur; aliam esse, quæ etiam concernit tertium, in cuius favorem conferatur. Primi generis est, v. g. dispensatio alicui facta iajunio, voto, eligendo Confessario &c. Secundi generis concessio facultatis, ad alium dispensandum, absolvendum, &c.

Quæres igitur primò. Quandonam censetur debet gratia facta, vel facienda? Respondeo primò. Gratia privilegii tota consistens in prima concessione, ut est dispensatio in voto, in lege jejunii &c. & non in concessione alicuius facultatis, neque cum respectu ad tertium est gratia facta. Ita communis DD. apud Suarez l. 8. c. 4. Laymanni l. 1. trac. 4. c. 23. aliasque.

Respondeo secundò. Gratia privilegii consistens in concessione facultatis exercenda in favorem tertii indefinite, & sine determinatione certæ personæ, est gratia facta, ita pariter communis DD. in c. si cui de probandis in 6. Et ratio est: quando alicui conceditur, & delegatur facultas, ut illa libere uti possit erga quemque voluntate, gratia primariò fit ipsi delegato, adeoque est gratia facta; sed ita se res habet in presenti; ergo est gratia facta.

Respondeo tertio. Ex opposto, si facultas delegata sit in favorem determinata & nominata personæ, sive sit liberè, sive necessariè, & cum obligatione exercenda, non est gratia facta, sed facienda. Ratio est: quod tunc favor non habet ipsi delegato, sed determinata & designata personæ, respectu cujus primum deberin adducit, & ita colligitur ex cap. si cui citat, & mutando.

Quæres secundò. Quænam ex his gratiis ex priviliis exspiret morte concedentis?

Respondeo. Privilegium & gratia jam factum illimitatè, non expirat morte concedentis, tametsi res sit integra: expirat vero gratia facienda, si res sit integra, hoc est, si gratia nondum sit in exercitum deducta, vel applicata tertio personæ. Ita Suar. Haunold, Petzschacher, & liique.

Prima pars habetur in c. si super gratia, defensa & pot. Jud. delegati, in c. ibi, siue ipsa gratia (habetur non nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis. Utique vero non habetur expressa in c. si cui de probandis in 6. habente: Si cui [nulla facta personarum expressione] sit gratia concessio facultas, ut autoritate Apostolica possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel beneficia [quorum collatum est ad sedem Apostolicam legitime devoluta] conservare &c. non expirat etiam reintera per obitum concedentis. Causa additur: quia bisignatus concessio, cum speciale gratiam continet, datur esse mansuram. Subjungitur: Secundu si super prævisione certa persona facienda sit data poena &c.

dem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem: illa quidem expirat omniō, si concedens re integrā moriatur.

Nihilominus Sanchez de matrim. I. 8. d. 8. n.

6. 8o. & Palao p. 16. §. 4. n. 6. fatis probabile censem, quamlibet facultatem datam alicui ad effectū caufandum in alio, esse gratiam factam illi, cui data est talis facultas, licet speciali intentione ad alium referatur: ideoque non perire morte concedentis, excepta materia beneficiorum, de qua exponunt cap. sive nulla, præallegatum, & fori contentioſi, de qua agitur l. inter causas 26. ff. mandati. c. gratum, c. relatum de officiis, quam sententiam in foro penitentia ampliētunt Suarez, & Haunoldus cum aliis, ita ut facultas absolvendi concessa, sive dirigatur ad Confessarium, sive ad determinatum penitentem, semper habenda sit pro gratia facta, propter favorem judicij penitentialis, quod magis est gratia, quam justitia.

7. Inférēs ex dictis primō. Privilegium, quo per verbi directē alloquenter privilegiato concedetur aliqui favor, esse gratiam factam, non facienda, nec proinde expirare morte concedentis, quantumvis ipsius execuſio sine alterius delegati cooperatione obtineri non possit: ut si privilegium dicat: *Concedimus tibi facultatem suscipiendi Ordines a quocunque, vel ab hoc determinato Episcopo, eligendi Confessarium &c. quia tunc facultas non directē fertur ad delegatum, qui se habet per modum accessorii; sed ad privilegium, in quo cum concedens suam gratiam velit esse firmam, & factam, ex con sequenti vult etiam esse talem in delegato, prout expressum videatur in cit. c. si super gratia, de off. deleg. in 6. & tenent præter Palao cit. Suarez, Haunoldus, Petschacher, q. ult. a. 7. §. 2. aliisque.*

8. Quæres tertio. Utrum requiratur acceptatio privilegiati, ad hoc, ut certificatur gratia facta, quæ morte privilegiantis non expireret?

- Respondeo cum communī negatē: nam gratiam absolute factam decet esse manuoram, neque expirat illa, morte concedentis ex c. si super gratia, cit. & habet se instar conditionis, quæ tamē ante acceptationem revocari possit, non tamē abrumptum morte donans: ideo & privilegium absolute concessum etiam post mortem privilegiantis acceptari potest. Ita AA. citati.

9. Quæres quartō. An privilegium concessum clausula ad beneplacitum meum, vel, quamdiu volero, expirat morte concedentis?

- Respondeo, probabilit̄ expirare: quia per mortem definit omnis voluntas & beneplacitum, à quo tamē tale privilegium dependet in conservari. Ita communior, quam tenet Palao §. 5. n. 4, qui tamē etiam oppositam censem esse probabilem, eò quod ista clausula, interpretatione per usum & consuetudinem Ordinariorum approbatæ videantur æquivalere huic, donec revocavero, vel aliter ordinavero: privilegia autem & gratia sub hac clausula collatæ, ut cū Ordinarii tribuunt Religiosis facultatem Sacra menta administrandi, non expirant morte concedentis.

10. Inférēs ex dictis primō. Quemadmodum privilegia & gratia expirant morte concedentis; ita pariter expirant unita jurisdictione concedentis, prout colligitur ex prædictis Canon. si super gratia, & si c. nullæ, quia quo modo privilegia dependent in fieri & conservari à voluntate & vita, ita à jurisdictione concedentis.

Inferes secundō. Si gratia privilegii fuerit concessa ad tempus limitatum, v. g. ad annum, non propriece expirare, si concedens intra illum annum moriatur: nam illa limitatio non facit, quod gratia potius sit facienda, quam facta; unde si aliunde non evincatur, quod gratia sit facienda, habebit suum effectum intra illius temporis limitationem non obstante morte concedentis. Ita Palao citatus.

## §. II.

### Quomodo cessent privilegia per revocationem?

Privilegium hoc loco sub triplici differentia considerari potest: primō potest esse purè gratuitum instar liberalis donationis; secundō onerosum, quando nimis datur sub onere aliquis actus praestandi, vel pecuniae solvendæ. Tertiō remuneratorium, cum datur in preemium meritorum à privilegiario praestitorum.

Quæresigitur primō: An privilegium gratuitum sine rationabili causa à Principe revocari possit?

Respondeo primō. Si per privilegium tantummodo confirmatur aliquis actus delegatio sine translatione alicuius juris, aut dominii, tunc revocari posse validē, sed non licet: validē, quia tale privilegium habetur tanquam precariū concessum, ideoque revocationi obnoxium; non licet, quia sine rationabili causa mutare voluntatem, & alium privare commodo, ad minus est actus otiosus, imprudens, occasio mūrmuracionum, ab animi levitate procedens; ergo saltem erit actus venialiter malus.

Respondeo secundō. Si per privilegium al. 13. teri jus, aut dominium acquiritur, non potest à Principe validē revocari sine causa. Ita Felinus in c. novit. de judic. Sanch. I. 8. de matrim. disp. 33. n. 2. quia Princeps non nisi ex dominio alto potest subditos privare re suā; sed actus dominii alti ad sui valorem requirit causam publicæ utilitatis; ergo.

Quæres secundō. Possitne validē revocari c. 14. ne causa privilegii onerosum, aut remuneratorium? Respondeo ad utrumque probabilit̄ negative. Et quidem ratio primi est: quod Princeps teneat servare pacta, etiam facta cum subditis: sed in privilegio oneroſo includitur patrum: ergo nisi publicæ utilitatis ratio aliud uadeat, Princeps illi privilegio stare tenetur, uti tradidit Suarez c. 37. n. 5. Palao p. 21. §. 2. cum plurimis ibidem relatis. Ratio secundi est, quia privilegium remuneratorium aut datur ex iustitia, aut ex gratitudine; si ex iustitia, parit in privilegiato jus rigorosum, & ad sui mutationem non tantum causam, sed etiam compensationem requirit, prout sentiunt DD. communiter. Si ex gratitudine, tunc etiam privilegium transit in contractum, eò quod propter privilegium privilegiatus cedat prætensione suorum meritorum, quæ est pretio assimilabilis, prout tradit Palao lo-

Y

co

co citato: quamvis etiam probabilis sit sententia complurium docentium, ad revocationem hujus privilegii non requiri tantam causam, quanta requiritur ad revocationem privilegii remunerativi ex justitia, neque necessariam esse compensationem, eō quōd concedens non präsumatur voluisse se obligare sub rigorosiori titulo ad non revocandum privilegium, quām movebatur ab initio ad illud concedendum, sed iste tantum fuit titulus gratitudinis. Cui sententia adstipulatus praxis Romanorum Pontificum, qui sēpius ejusmodi privilegia sine compensatione revocarunt. Ita docent Bail. de matrim. I. 8. c. 19. Salmant. c. 2. p. 3. n. 35 cum aliis à se relatis.

15. Ex quibus infert Castrop. cum Sanchez. disp. 33. n. 13. Dispensations ad contrahendum matrimonium in gradibus prohibitis à Summis Pontificibus concessas pro foro externo, ab iisdem non nisi iusta causa interveniente, ac restituto pretio revocari posse.

Quares tertio. Quis possit privilegium revocare? Certum est, si adhuc requisita prememorata, posse privilegium à concedente, vel ejus Successore revocari. Dubium est, an & quando superior privilegium inferioris, aut inferior superioris privilegium infirmare, vel revocare possit?

16. Respondeo primò. Inferior ex potestate sibi vel de jure, vel per consuetudinem concessa dispensans in lege superioris, non potest dispensationem sine causa validè revocare. Ita Sanchez, Palao, Haunoldus, Reding. Ratio est, quia inferior sive dispensando in lege superioris, & obligationem tollendo, sive revocando dispensationem, ac obligationem reponendo, operatur ex voluntate Superioris; qui pro neutrō casu concedit facultatem utendi sua jurisdictione sine causa; ergo sicut inferior sine causa in invalidè dispensat; ita sine causa invalidè revocat dispensationem.

17. Respondeo secundò. Superior non potest absque causa validè revocare privilegium ab inferiori absolutè concessum, nisi in casu, quo inferior potestatem conferendi privilegium sub talii dependet & conditione revocabilitatis à superiori accepisset. Ita Magnif. P. Petschacher loc. cit. Ratio est, quia non potest privilegiato sine causa jus privilegij quāsumum auferri: sed si ve superior, sive inferior contulerit privilegium, privilegiatus habet idem jus: ergo non potest à Superiori sine causa auferri.

Dixi: *absolute collatum*. Nam si in privilegio

inferioris adderetur conditio, donec superiori placuerit, quā tamen non præsumitur, nulli exprimitur, confat, illud etiam absque causa validè revocari posse.

Quares quartò. Quā forma sit necessaria, ut revocatio habeat effectum?

Respondeo primò. Alia est revocatio privilegii tacita, alia expressa. Tacita fit factū principis, quando aliquid ordinat, & concedit, quod non potest subsistere sine revocatione privilegii in contrarium. Expressa, qua sit verbo expressis, eaque alia generalis per terminos generales, non obstantibus quibuscumque &c. specialis, qui specialiter revocatur privilegium in particulari. Ad expressam revocationem (exceptis casibus infra ponendis) absolute sufficit clausula generalis, *revocamus, annulamus, decernimus non statutibus quibuscumque &c.*

Respondeo secundo. Non revocantur per illas clausulas generalē primò privilegia oneola, & remunerativa, ob jus tertio in vi contractū, vel quasi contractū quāsumum, quorum non præsumitur revocatio, quoūque exprimatur, ultradit Suar. Sanchez, Abbas Einfidensis, aliqui. Neque secundò, que sunt corpori juris interea, ad quorum revocationem requiritur derogatio Constitutionum & Canonum, quorum illa naturalē sapiunt. Unde pariter ut revocentur privilegia ab aliquo Generali Concilio stabilita, oportet exprimi Concilium, v. g. non obstante quācumque Constitutione in Concilio etiam generali edita; excepto, si ex jure, vel consuetudine constet, Pontificem Constitutionibus Conciliorum & Coronum derogare velle, ut sit in dispensatione super impedimentis matrimonii. Neque tertio privilegia habentia clausulas, ut derogari non possint, nisi fiat illorum specifica mentio, tunc enim in revocatione oportet addi verba reflexiva super talēm clausulam. Ex Abbatie in e. cum in stantia in 6. de rescriptis, aliisque DD.

Respondeo tertio. Ut revocatio privilegii fortifiatur effectum, requiritur competens publicatio. Unde si fiat per legem, talis oportet sit promulgatio, qualem exigit legis substantia; si fiat privatim, salem intimari debet per rescriptum epistolam, seu nunciū ad id destinatum, ut cum Sanchez & Castropal, cenfer Reding n. 44. Petschacher §. ultimo in fine: iste enim modis etiam in mandato observatur, ut antea vim non obtineat, quām directe mandatario innotescat.

### ARTICULUS III.

*De modis, quibus cessat privilegium ex parte privilegiati.*

#### S U M M A R I A.

1. Quid & quotuplex renuntiatio?
2. Privilegium cedens in solius privilegiati favorem, amittitur per renuntiationem.
3. Non amittitur, si sit etiam in favorem tertii.
4. Ut privilegium actu & irrevocabiliiter amittatur, requiritur acceptatio concedentis.
5. Ad amissionem privilegii tertio odioſi, requiriatur ejus acceptatio.
6. Privilegium nemini prejudicium non amittitur per solum non usum.
7. Privilegia gravantia amittuntur non nisi coniuncto cum prescriptione gravata.
8. Privilegia negativa non amittuntur per usum contrarium.
9. Potest unico actu prescribi contra privilegium.

10. Usu contrario labefactatur privilegium quo ad procuratoribus in 6. Ita Sánchez, Suárez, Reding, aliisque.  
 11. Tripliciter abusus privilegiit.  
 12. Si abusus per modum conditionis dissolutive sit insertus privilegio, amittitur privilegium post sententiam declaratoriam abusus.  
 13. Si abusus sit contra finem privilegii, perit ipse factio.  
 14. Per abusum regulariter amittitur privilegium post sententiam judicis.

## §. I.

*Quomodo cedes privilegium per renuntiationem?*

1. Quemur de renuntiatione non improprietate, qualis est etiam voluntas non utendi privilegio, sed de propriete accepta, que est voluntaria cesso & abdicatio juris ad utendum privilegio, qua dividitur in expressam & tacitam. De tacita & interpretativa, que non distinguitur à non usu vel abuso. §. sequenti; de expressa & formalia hoc loco.

Quæres primò: An & quando per renuntiationem amittatur privilegium?

2. Respondeo. Quando privilegium solummodo respicit favorem privilegiati sine prajudicio tertii, tunc per renuntiationem potest amitti privilegium: quia sicut quilibet sua voluntate potest subire onus & obligationem, quæ prius non nebulatur, ita potest cedere iuri suo, commodo & favori. ex c. ad Apostolicam. de Regularibus. l. si Index. ff. de minoribus. l. quod favore. C. de leg.

3. Unde Inferes. Non validè renuntiari à personis particulari, nec proinde amitti privilegium, quod non in solius renuntiantis persona, sed etiam in alterius, vel plurimorum favorem concessum est: quo sit, ut nec Clericus privilegio fori, nec Religiosus privilegiis suæ Religionis, Monasterio, Communitate concessi, nec filii familiæ sub patria potestate constitutus Senatusconsulto Macedonio in boni publici, & parentum quaque favorem concessio validè renuntiet. ex c. si diligenter, de foro competenti. & L. cùm publicum. ff. de pactis.

4. Dixi notanter in response, posse amitti privilegium; nam

Quæres secundò. Utrum requiratur acceptatio concedentis privilegium ad hoc, ut acta amittatur? Respondeo affirmativè: quia quamdiu concedens privilegium ipsius renuntiationem non acceptat, moraliter & habitualiter perseverat voluntas illud conferendi: sed hæc substantia privilegiatus semper potest illud sibi appropriare, & priorem voluntatem renuntiandi retractare: quemadmodum & donatarius manente voluntate donantis potest acceptare prius reculatum donationem, procurator constitutus, qui prius noluit acceptare mandatum, potest illud acceptare, quandocunque placuerit, si constitutus in sua permanenter voluntate electus, qui noluit consentire electioni, adhuc potest consenserit, quamdiu eligentes in sua voluntate perficerint: beneficiarius repudiata prius collatione presentata beneficium, potest in illud consentire, permanente voluntate conferens, per e., licet de

R. P. Mex. Schol. Tom. II.

procuringibus in 6. Ita Sánchez, Suárez, Reding, aliisque.

Quæres tertio. An, ut per renuntiationem a- f. 5: eti amittatur privilegium odiosum cedens in prajudicium tertii, prærequiratur acceptatio tertii, cuius interest? e. g. an, si renuntias privilegio non solvendi decimas, prærequiratur acceptatio illius, cui de jure forent solvendæ?

Respondeo, ejusmodi renuntiationem semper revocari posse, quamdiu is, in cuius favorem cedit, nondum acceptavit; eo quod talis renuntiatio æquiparetur donationi, qua tamdiu est revocabilis, quamdiu non fuit acceptata à donatario. ex gloss. in c. cùm venissent. Verb. obnuli, de eo, quæ mittuntur in possessionem. Sic Suárez, cit. l. 8. c. 33. Castropal, cit. p. 17. n. 6.

## §. II.

*Quomodo amittatur privilegium per non usum, vel abusum?*

Quæres primò. Quomodo amittantur privilegia per non usum?

Respondeo primò. Privilegium, quod in nullius cedit prajudicium, uti est privilegium administrandi Sacra menta, non amittitur solum per non usum, quantocunque tempore continuetur, sive fuerit, sive non fuerit occasio illo utendi. Suárez, Castropal, aliisque.

Ratio est: quia ipsius est in libera potestate & jure utentis, libera autem omissione non prajudicat juri & potestatis. Habetur in l. unius ex sociis. §. ult. de servis. r. v. p. rad. Nec obstat in contrarium. L. ff. de nundiniis, ubi statuitur, privilegia amitti per non usum, quia loquitur de privilegiis cedentibus in aliorum gravamen ac prajudicium. Unde.

Respondeo secundò. Privilegia cedentia in alterius gravamen amittuntur per non usum, quando gravatus adversus privilegiatum legitime prescribit. Suárez, Palao citati, aliisque: quia actus contra privilegiatum à tertio exercitus inchoat in ipso possessionem, cui si privilegiatus intra tempus prescriptioni praefinitum non contradicat, valebit prescriptio, & perimet privilegium, quemadmodum & juri communis potest derogare.

Inferes ex dictis primò. Etiam privilegia negativa nullum gravantia, v. g. non jejunandi, non recitandi horas Canonicas, &c. non amitti per actum contrarium. Ratio est eadem, quæ de privilegio positivo; cum liberum sit privilegiato, uti vel non uti suo privilegio: atqui in istis privilegiis non usus consistit in actu contrario.

Inferes secundò. Ad legitimam prescriptionem contra privilegium habens tractum successum temporis, sufficere unicum actum contrarium non retractatum. Ita Haenold, Palao, Suárez, Petzschacher cit. aliisque. Ratio est: quia possessio bona fide inchoata, & legitimo tempore continuata parit prescriptionem contra jus: sed per unicum actum potest bonâ fide inchoari possesso, eaque quamdiu non retractatur per protestationem, vel alium actum oppositum, moraliter continuatur; ergo si elabatur tempus praescriptioni praefinitum, per unicum actum poterit

Y 2

præ-

præscribi eorum jus & privilegium alterius. Quantum verò temporis ad præscriptionem requiratur, dicemus in Tract. de Jur. & Justitia.  
**50.** Inferes tertio. Uso contrario labefactari privilegium habens tractum successivum solummodo quoad illum actum intra tempus præscriptionis: e. g. habens privilegium non solvendi decimas, si solvat, officit solum privilegio quoad illum actum & vicem, & verè transfert dominium illarum, quas proin sibi vendicare amplius nequit: & constat ex l. ult. c. de Constitut. Princip. ubi dicitur, quod habens privilegium non solvendi tributa, si permitrat se inscribi in libro talium gravaminum, & intra decem dies non appetet, non obinde amississe privilegium, sed tamē permissionem ad summum valere ad unum actum privilegio contrarium de tributo illa vice solvendo.

**Quæres secundo.** Quomodo per abusum amittatur privilegium?

**51.** Notandum, privilegii abusum tripliciter fieri posse: primò, illud nimis extendendo ultra id, quod privilegio concessum est: secundò ex privilegio sumendo occasionem delinquendi: tertio non utendo privilegio ad finem intentum à privilegio, vel utendo ad contrarium finem, ut

si Clericus dispensatus à residentia, ut possit suā diis navare operam, tempus orio terat, aut vanus negotii sese occupet. Quo poñito

Respondeo primò. Si abusus annellitur pri-  
mogenio per modum conditionis dissolutivæ, usi-  
datur: Concedo tibi licentiam vel potestatem hoc  
agendi, quamdiu illa non abutris, tunc quidem  
ipso facto amittitur privilegium per abusum, sed  
tamē post sententiam declarativam abusus,  
tunc enim amissio habet se tanquam pena, iude-  
que sequitur conditiones legis penalis, de qui-  
bus antecedenter dictum.

Respondeo secundo. Si abusus tertio modo,  
si habeat, privilegium ipso facto expirat iuxta  
superius dicta de cessatione privilegii per cel-  
litionem causa finalis.

Respondeo tertio. Si primò, vel secundo modo,  
de contingat abusus, tunc privilegium non am-  
mittitur ipso facto, sed per sententiam iudicis;  
ita quippe habetur in c. privilegium II. q. 3. t.  
ubi, dif. 74. privilegium mereor amittere, quā  
concessa sibi abutitur potestate. Hoc est, quod me-  
ritò sit à superiori privandus privilegio, qui eō  
dem abutitur, non autem quod stipulo facto pri-  
vatus.

## DISPUTATIO XXXIX.

### Privilegiis Clericorum & Religiosorum.

**N**on pleno alio fundimus præsentem materiam, quippe nimis amplam, quam uero Theologici Tractatus partem tantummodo expletat, jamq; à perifissimis Decreto-  
rum Doctoribus cum dignitate integris libris tractatam. Itaque delibandum po-  
tiū studioſo Lectori propinamus, quantum ad hujus Tractatus pleniorē doctrinam  
comparandam & comprehendendam necesse yisum est. Et dicimus de privilegiis applicatis ad  
particulare subjectum, quod in Theologica consideratione potissimum est duplex: Cle-  
ricus & Religiosus. Sit proinde

### ARTICULUS I.

#### De Privilegiis Clericorum.

##### S U M M A R I A.

1. *Quid significet Status?*
2. *Divisio status in Ecclesiasticum & Laicalem.*
3. *Ecclesiasticus dividitur in Clericalem & Regu-  
larem.*
4. *Status Ecclesiasticus non nisi per Ministrum Ec-  
clesiasticum acquiritur.*
5. *Quinam Eremita sint in statu Ecclesiastico.*
6. *Ad statum Ecclesiasticum pertinent Ordines  
militares, Novitii, Moniales.*
7. *Religiosi in favorabilibus veniunt etiam nomine  
Clericorum.*
8. *Clericatus & Monachatus sunt juris Divini.*
9. *Quid sit privilegium canonis & fori?*

##### §. I.

*Quid sit status Ecclesiasticus?*

1. *Status absolute significat quandam permanen-*

tem vivendi modum humanæ naturæ accommo-  
datum, juxta Doctrinam D. Thomæ, 2. 2. q. 12.  
a. 1, ideoque libertas & servitus ad statum perdi-  
nent, non autem dignitates, quæ facile mutati-  
nem subeunt.

Est in primis Status Christianorum, qui per Ba-  
ptismum ingressi sunt in Ecclesiam DEI, qui ius  
ra S. Hieronymum relatum in c. duo snt. 12. q. 1.  
in Laicalem, & Clericalem, hoc est, Ecclesiasticum  
Laicalis ille est, qui complectitur personas sacerdoti-  
tu facularium negotiorum implicitas. Eccle-  
siasticus, qui complectitur personas per Eccle-  
siasticum ministram ad speciale DEI servitum desig-  
natas. Quæ destinatio vel fit per ordinacionem  
vel deputationem. Si per ordinacionem ad hanc  
reducitur prima confusa à qua incipiunt Clericatus  
per c. cum contingat. II. de state. c. ex littera d.